REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI ANTONII THEODORI DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPI OLOMUCENSIS, DUCIS, S. R. I. PRINCIPIS, REGIÆ CAPELLÆ BOHEMIÆ, NEC NON A COLLOREDO ET WALDSEE COMITIS &c. VICARIUS IN SPIRITUALIBUS GENERALIS ET OFFICIALIS JOANNES MATHIAS EQUES DE ROLSBERG, DOMINUS IN KIRCHWIEDERN ET MAYRES, METROPOLITANÆ ECCLESIÆ OLOMUCENSIS PRÆLATUS PRÆPOSITUS INFULATUS, ET CANONICUS SENIOR, TOTUMQUE ARCHI-EPISCOPALE OLOMUCENSE CONSISTORIUM.

Universo Venerabili Clero Curato Marchionatus Moraviæ, & Ducatus Silesiæ Austriacæ Archi-Diœcesis Olomucensis Salutem in Domino sempiternam.

In recenti adhuc vigebit memoria Suæ Sacratissimæ Majestatis Ordinatio mediante Circulari Nostro de 29. proxime elapsi Mensis Septembris Universo Clero intimata, ut nimirum Archi-Episcopi, & Episcopi in Causis, ubi inter Sponsos impedimentum ex Lege naturali vel Divina non promanans subversatur, jure suo Sibi a DEO immediate concesso utantur, atque semoto ad Sedem Pontificiam Recursu Oratoribus Dispensationem erga moderatam Cancellariæ Taxam impertiantur, hacque de causa nemo sub gravissima animadversione Romam vel ad Nuntiaturam pro Dispensatione recurrere præsumat, & Parochi Sponsos impedimento laborantes erga nullam aliam, quam proprii Ordinarii Dispensationem sub pœna Sequestrationis Proventuum copulent.

In consequentiam hujus altissimæ Dispositionis placuit Augustissimo Principi Terræ per Decretum Aulicum de 25. præteriti Mensis Octobris ulterius Clementissime ordinare, ut postquam Dominis Ordinariis potestas etiam super Criminis, aliisque impedimentis occultis dispensandi neutiquam controverti potest, perconsequens nulla necessitas pro hujusmodi Dispensatione ad Pœnitentiariam recurrendi subest, Ipsi Domini Ordinarii etiam in impedimentis occultis Jure proprio dispensent, observata tamen jam alias usitata modalitate, ut Parochi vel Confessarii ad præcavendum manifestationis periculum Dispensationem tecto Nomine petant.

Qua-

Quare etiam hanc altissimam Ordinationem de expresso Suæ Reverendissimæ Celsitudinis Mandato Universo Clero Curato Sæculari & Regulari eo fine insinuamus, ut toties quoties impedimentum occultum in vel extra Confessionem innotuerit, casum huic Archi-Episcopali Officio sub fictis Nominibus ad Effectum gratis obtinendæ Dispensationis genuine & circumstantialiter proponant, & quia impedimenta occulta plerumque circa matrimonium jam Contractum evenire solent, simul informent: an tempore contracti Matrimonii utraque vel alterutra tantum pars subversantis impedimenti gnara vel ignara fuerit, & an impedimentum ita occultum sit, ut nullum manifestationis periculum subversetur; Idque pro primo

Pro secundo præcepimus districtim Clero Moraviæ jam sub 7. Januarii 1771. ut, quotiescunque Miles Extractum Matricæ petiverit, hunc absque tergiversatione prono animo parent, & præter Chartam signatam, quam Miles omnino adferre vel refundere tenetur, nullam simpliciter Taxam, vel si tamen Miles visis Circumstantiis Solutionem facile præstare posset, hanc non nisi moderatam exigant.

Cum autem Cæsareo-Regia Generalis Præfectura Inclyto Cæsareo-Regio Gubernio querulando exposuerit, quod Milites ad tempus definitum licentiati attestata Copulationis, Baptismatis vel mortis, quæ suis Legionibus exhibere debent, Clero Curato caro pretio solvere cogantur;

Ideo ex nutu prælaudati Dicasterii Regii animarum Curatoribus hisce demandamus, ut Militibus ad tempus definitum licentiatis & extra Jurisdictionem Militarem matrimonium contrahentibus prædicta Attestata sine charta signata, & sine omni simpliciter solutione, quam primum petita fuerint, extradant.

Quæ ut quoad unum & alterum passum exacte observentur, Domini Archipresbyteri & Decani præsens Decretum suis subordinatis indilate publicare noverint.

Decretum in Curia Archi-Episcopali Olomucii die 19. Novembris 1781.

JOANNES
MATHIAS
EQUES DE ROLSBERG
Vicarius Generalis
& Officialis.



Joannes Norbertus Bergmann,
Assessor, & Notarius.

Commendum.

REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI ANTONII THEODORI DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPI OLOMUCENSIS, DUCIS, S. R. I. PRINCIPIS, REGIÆ CAPELLÆ BOHEMIÆ, NEC NON A COLLOREDO ET WALDSEE COMITIS &c. VICARIUS IN SPIRITUALIBUS GENERALIS ET OFFICIALIS JOANNES MATHIAS EQUES DE ROLSBERG, DOMINUS IN KIRCHWIEDERN ET MAYRES, METROPOLITANÆ ECCLESIÆ OLOMUCENSIS PRÆLATUS PRÆPOSITUS INFULATUS, ET CANONICUS SENIOR, TOTUMQUE ARCHI-EPISCOPALE OLOMUCENSE CONSISTORIUM.

Universo Clero Regulari Silesiæ Austriacæ Archi-Diœcesis Olomucensis Salutem in Domino sempiternam.

Decrevit Sua Sacra Cæsareo-Regia Apostolica Majestas sub 9. elapsi Mensis Novembris in Vim Legis, ut, si Religiosum Via Dispensationis a Votis Regularibus solvi, & ad Statum Cleri sæcularis transire contigerit, is respectu Bonorum, quæ durante Votorum Obligatione, seu stante Rerum temporalium Obligatione ad alios Hæredes ab intestato transiverunt, nullo postliminii Jure gaudeat, sed præfati Hæredes in acquisito semel Jure manuteneantur, e contra vero ejusmodi Religiosus sæcularisatus a Die suæ Sæcularisationis omnium Hæreditatum, aliarumque Acquisitionum etiam per Donationes omnimode capax sit.

Hanc

Hanc altissimam Dispositionem proinde universo Clero Regulari pro Notitia, & Directione hisce notam facimus, & præsens Decretum per Dominos Archi-Presbyteros & Decanos Superioribus Regularium in Decanatu existentium indilate communicari volumus.

Decretum in Curia Archi-Episcopali Olomucii Die 10. Decembris 1781.

JOANNES
MATHIAS
EQUES DE ROLSBERG
Vicarius Generalis
& Officialis.



Joannes Norbertus Bergmann,
Assessor, & Notarius.

REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI ANTONII THEODORI DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPI OLOMUCENSIS, DUCIS, S. R. I. PRINCIPIS, REGIÆ CAPELLÆ BOHEMIÆ, NEC NON A COLLOREDO ET WALDSEE COMITIS &c. PRÆSES, TOTUMQUE ARCHI-EPISCOPALE OLOMUCENSE CONSISTORIUM.

Venerabili Clero Ducatus Silesiæ Austriacæ Archi-Diœcesis Olomucensis Salutem in Domino sempiternam.

Notum fecit Suæ Reverendissimæ Celsitudini Inclytum Cæsareo-Regium Officium Oppavenum mediante Decreto Aulico de 6. proxime lapsi Mensis & Anni sibi Assecurationem factam fuisse, quod ratione Brevium Indulgentiarum, a Clero Silesiæ anno superiore originaliter jam exhibitorum altissima Cæsareo-Regia Resolutio suo tempore sequetur.

Cum autem Tenore ejusdem mox citati Decreti Aulici perhibeatur, quod simpliciter omnes etiam de præterito existentes Bullæ Pontificiæ, Brevia, Indulta, & Concessiones ad retinendum pro futuro suum vigorem Placito Regio provideri debeant.

Ideo de expresso Suæ Reverendissimæ Celsitudinis Mandato universo Clero tam Sæculari quam Regulari Ducatus Silesiæ Austriacæ hisce præcipimus, ut omnes & singuli, qui Bullas aliquas Pontificias, Brevia, Indulta, & cujuscunque Nominis Concessiones possident, quas vel plane non, vel solummodo in Authenticis vel simplicibus copiis aut extractive exhibuerunt, has omnes in Originali cum adnectendis genuinis Copiis intra bis 24. horas suis Dominis Decanis - hi vero easdem una cum propriis, si quas adhuc habent, sine mora Nobis transmittant, ut easdem mediante Suâ Reverendissima Celsitudine ad prælaudatum Cæsareo-Regium Officium Oppavenum pro consequendo Placito Regio promovere valeamus.

Quam

Quam Ordinationem Domini Decani non modo ſuis Subordinatis, ſed etiam Superioribus Regularium intra Decanatum exiſtentium inſinuare, deſuper ſuas Relationes & memoratarum qualiumcunque Conceſſionum Pontificiarum Exhibitiones accelerare noverint.

Decretum in Curia Archi-Epiſcopali Olomucii die 10. Januarii 1782.

OTTO
ANTONIUS
MINCKWITZ
Dominus & L. Baro
A MINCKVITZBURG
Præſes Conſiſtorii.



Joannes Norbertus Bergmann,
Aſſeſſor, & Notarius.

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :

ul. Krzemowa 1
62-002 Suchy Las
www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.
Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.